

principem philosophorum Aristotelem cum peripateticorum astipulan-
 te corona; posterior laudatissimum medicorum Galenum, medicosq; ferè
 omnes. Hic talem tantamq; inter tales & tantos viros litem componere
 nobis etsi non sumimus, alteram tamen defendendam suscipiemus senten-
 tiam, tam diu, donec firmiora & validiora produxerint peripatetici ar-
 gumenta, & ea difficultates quibus eorum obstricta tenetur opinio, peni-
 tus à quopiam remota & dissoluta fuerint. Quid enim quæso patrocini-
 nii parit, quando dicunt, cor ideo esse venarum principium, quia pri-
 mum sit nutriens & primum vivens, siquidem ignotum per ignotum, &
 per incertum incertum probando principium petere videntur: Equè e-
 nim controversitur, an cor primum vivat, ac an sit principium venarum:
 & licet ex abundantia Peripateticis hoc concedamus, tamen non statim
 sequeretur primum esse nutriens: nutriens enim vel nutritur primum, vel
 aliis primum alimentum suppeditat: iam autem neutrum cordi potest
 attribui: E. Nam omnis nutritio venit à sanguine, & sanguis à venis:
 Jam verò vena umbilicalis primo sanguinem instillat & epati non cor-
di: E. Cor neq; primum nutrit neq; nutritur. Neq; hoc quicquam robo-
 ris habet, quando protendunt cor esse officinam & fontem sanguinis, cum
 de sanguine arterioso tantum, minimè autem de venoso illud verum sit.
 Sed objicit aliquis: quomodo epas potest esse officina cum nullam habeat
in se cavitatem: verum, dicimus, non omnem coctionem sinum & cavi-
tatem requirere, quod patet exinde, quia fit generatio in mammis etiam
cum tamen nulla in illis cavitatis. Caterum hic quidam neotericorum in-
 surgunt, & istam Aristotelis sententiam satis fulcitam iactitant, hocque
 medicorum quorundam testimoniis comprobatum reddere tentant, addu-
 centes auctoritatem & quoddam Hippocratis dicterium: Nos autem
Hippocratem Hippocrati opponimus, qui ipsemet propria cederet vine-
ta, nisi per subsequentem limitationem excusaretur. Principium vaso-
 rum in corpore humano sumi à medicis non uno sed pluribus modis consue-
 vit. Aliud enim γενέσθω seu originis est principium, à quo tanquam
 à materia vasa oriri dicuntur. Est aliud principium, quod indigitatur
 διοικίσθω distributionis, quod distribuit & dispensat vasa in omnes
 corporis partes. Est & principium ῥιζώσθω radicationis, in quo fundan-
 tur & quasi radicantur vasa. Ultimum vocant principium τῆσθω
 conservationis à quo sarta tecta conservantur vasa. Primo modo sumtum
 principium nec cor a nec epas est venarum, sed semen: Secundo & tertio
 modo sumtum solum est b epas, in quo radices & principia diffusionis in
 totum corpus venarum apparent. Ultimo modo acceptum principium c

c Francisc.
 Valles. in con-
 trovers. Med.
 lib 2. c. 6.
 f Galen. libr.
 de formatio-
 ne fœtus.

B

a Hippocr. lib
 de ossium na-
 tur.
 b Hippocr. in
 libr. de ali-
 mentis.
 c Hippocr. in
 libr. de carni-
 bus: & in
 libr. de locis
 in homi.